

ACTA TRIBUNALIUM S. SEDIS

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Prot. N. 24339/93 V.T.
Dioecesis N.
Quaesitum

Litteris diei 24 maii 1993 Rev. dus N., Promotor iustitiae Tribunalis N. huic Signaturae Apostolicae hoc proposuit quaesitum, scilicet utrum, advocati qui in unione irregulari vivunt (nempe in concubinato, in unione «libera», in unione tantum civili — sive agatur de prima unione sive post divortium —) ad patrocinium in causis nullitatis matrimonii exercendum admitti possint penes tribunalia dioecesana, necne.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examinata;

Viso can. 1483, in quo inter alia statuitur:

- a) «procurator et advocatus esse debent... bonae famae»;
- b) «advocatus debet praeterea esse... ab... Episcopo approbatus»;

Attento quod, in ordine ad bonam famam, omnino gravis habenda est condicio eius qui in unione irregulari vivens munus advocati ecclesiastici exercere ve-

lit (cfr. quoad advocatos apud Curiam Romanam, Litt. Ap. *Iusti iudicis*, art. 6, § 1, 2°, in A.A.S. 80, 1988, p. 1260);

Perspecto insuper quod debita pertractatio causarum nullitatis matrimonii rectam praesupponit doctrinam de matrimonio eiusque indissolubilitate, quae recta doctrina etiam vita manifestetur oportet,

quodque proinde speciatim in causis nullitatis matrimonii haud opportuna est collaboratio eius qui in praedicta vivit condicione;

Considerato voto Rev.mi Referendarii huius Supremi Fori;

In Congressu, die 12 iulii 1993 coram infrascripto Pro-Praefecto habito,

declarat:

— Persona de qua supra admitti nequit ad munus advocati exercendum;

— Condicio de qua supra sufficiens est ratio ut Exc. mus Moderator eiusmodi Advocatum expungere valeat ex Albo sui Tribunalis, prae oculis habitis, ad rationem procedendi quod attinet, cann. 50-51.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 12 iulii 1993.

† Gilbertus Agustoni
Pro-Praefectus

† Zenon Grocholewski
Secretarius

COMMENTARIUS

I

1. *De occasione qua responsio a Signatura Apostolica data est.* Promotor Iustitiae cuiusdam tribunalis dioecesiani scripto Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal interrogavit de idoneitate, vel minus, advocatorum, qui in unione matrimoniali irregulari vivunt, ad patrocinium in causis de nullitate matrimonii exercendum. Uti videtur, quaesitum casum particularem in praedicto Tribunali respiciebat.

2. *De Signaturae Apostolicae competentia in re.* Cum non ageret de vero dubio iuris, sed de dubio quoad applicationem iuris in peculiari adiuncto, Signatura Apostolica, vi art. 124, 1^o, Constitutionis Apostolicae «Pastor bonus» (cf. c. 1445, § 3, 1^o), seu vi suae potestatis administrativae rectae administrationi iustitiae invigilandi, competens erat ad quaesitum tractandum¹.

3. *De natura responsionis.* Responsio est actus administrativus in casu particulari, ideoque «vim legis non habet et ligat tantum personas atque res pro quibus data est» (c. 16, § 3).

Non agitur de decreto generali quod emanatur secundum propriam proceduram et in *Actis Apostolicae Sedis* publici iuris fit².

Responsio tamen pro aliis, ultra casum particula-

¹ Cf. Z. GROCHOLEWSKI, *I tribunali apostolici*, in *Le nouveau Code de Droit Canonique, Actes du V^e Congrès de droit canonique*, eds. Michel Thériault et Jean Thorn, Ottawa, 1986, vol. I, p. 472, n. 4.2.3.

² Cf. c. 31, §§ 1-2, simul cum c. 8; et SECRETARIA STATUS, *Regolamento generale della Curia Romana*, in AAS 84 (1992) 247, art. 115, § 5.

rem, momentum habet quia mentem Signaturae Apostolicae revelat seu praxim Curiae Romanae praebet. Argumenta propterea in responsione adducta sunt considerata pro solutione aliorum huiusmodi casuum (cf. c. 19).

4. *De modo quo quaestio pertractata est.* Modus quaesitum pertractandi in parte motiva responsionis exhibetur: «Re sedulo examinata; ... Considerato voto Rev.mi Referendarii...; In Congressu...». Imprius, quaesitum alicui perito seu Referendario commissum est, ut ipse id studio satis profundo subiceret et votum in re promeret. Res deinde in Congressu, cui officiales maiores Tribunalis Supremi et idem Referendarius intererant, discussa est, ut tandem Exc.mus Pro-Praefectus responsum seu declarationem in casu dare posset. Declaratio ab Exc.mo Pro-Praefecto data proinde est fructus studii et discussionis a pluribus perfectorum.

5. *De structura responsionis.* Structura responsionis est clara. Primum, facti species describitur (cf. n. 1 supra). Dein, in secunda eius parte motiva responsionis praebentur et etiam modus tractationis quaestionis indicatur (cf. n. 4 supra). Denique, ipsa declaratio sensu stricto datur.

II

6. *De motivis a Signatura Apostolica pro responsione adductis.*

a. In parte motiva responsionis, ante omnia, c. 1483 uti norma in casu fundamentalis adducitur, secundum quem procurator et advocatus debent, inter alia, 1) bona fama gaudere et 2) ab Episcopo esse approbati.

Procurator et advocatus debent esse bonae fa-

mae. Hoc principium generale valet tum pro admissione advocati ad casum, tum pro inscriptione in albo advocatorum, tum pro advocatis in eodem albo iam inscriptis. Episcopus ab hoc requisito dispensare non potest (cf. c. 87).

Cur requiritur bona fama? Bona fama in iis qui patrociniū apud tribunalia ecclesiastica exercent requiritur, ne gravitas laboris apud tribunalia in discrimine vocetur vel eadem tribunalia cum doctrina et disciplina ecclesiastica aliquo modo minus cohaerentia videantur.

Procurator et advocatus praeterea approbati ab Episcopo esse debent. Episcopus videat utrum necne verificentur ea quae ipso iure requiruntur necnon ea quae opportuna sunt in casu. Hoc valet tam de approbatione advocati ad casum quam de inscriptione in albo advocatorum. Episcopus etiam de re videat quando dubium de permanentia requisitorum in avvocato iam in albo inscripto legitime surgit. Approbatio, si et quatenus, datur vel tollitur ab Episcopo, Iudice nativo in Ecclesia particulari (cf. c. 1419, § 1), quocum advocatus adlaborat et collaborat in ministerio ecclesiali iustitiam administrandi.

b. Signatura Apostolica dein tractat de defectu requisitae bonae famae in avvocato qui in unione irregulari vivit, seu applicat normam c. 1483 quoad bonam famam ad facti speciem in casu. Quidquid est de conditione subiectiva advocati in unione irregulari viventis, obiective bona fama ei deest. Qui vivit in huiusmodi unione doctrinae morali Ecclesiae contradicit, ideoque bona fama in Ecclesia non gaudet.

Responsio ad art. 6, § 1, 2º, «Litterarum Apostolicarum *Iusti iudicis*» refert: «Ex Albo [Advocatorum] praeterea expungantur:... 2) qui in concubinato vivunt aut matrimonio civili tantum iuncti sunt vel aliter

manifesto in gravi peccato perseverat;...»³. Haec legislatio tamquam norma tantum respicit Advocatos apud Curiam Romanam et Advocatos Sanctae Sedis, sed ex natura rei defectum bonae famaе in quocumque avvocato qui in unione irregulari vivit confirmat.

Legislatio, in praedictis Litteris Apostolicis data, minime iudicium quoad conscientiam singularis advocati ferre praesumit, sed requirit comprobationem condicionis obiectivae personalis advocati in tribunali ecclesiastico, quae condicio doctrinae et disciplinae ecclesiali contradicere nequit. Certocertius, si talis condicio obiectiva advocatum inidoneum ad patrocinium apud Curiam Romanam exercendum reddit, etiam eum reddit inidoneum ad hoc ministerium exercendum apud curias Ecclesiarum particularium, quia figura et servitium advocati est idem in omnibus tribunalibus ecclesiasticis.

Ad hanc legislationem de requisitis idoneitatis in advocatis profundius intellegendam in memoriam revocare adiuvat magisterium recentiorum Romanorum Pontificum de servitio advocatorum penes tribunalia ecclesiastica tamquam ministerio veritatis⁴.

³ IOANNES PAULUS PP. II, Litterae Apostolicae Motu Proprio datae *Iusti iudicis*: «Ex integro ordinatur materia respiciens muneri Patronorum et Advocatorum exercitium apud Romanae Curiae Dicasteria necnon ipsius Sanctae Sedis causarum patrocinium», in AAS 80 (1988) 1260.

⁴ Cf. PIUS PP. XII, Allocutio ad Praelatos Auditores ceterosque officiales et administros Tribunalis S. Romanae Rotae necnon eiusdem Tribunalis advocatos et procuratores, habita die 2 mensis octobris a. 1944, in AAS 36 (1944) 281-282 et 286-287; PIUS PP. XII, All. ad Praelatos Auditores ceterosque Officiales et Administros Tribunalis S. Romanae Rotae necnon eiusdem Tribunalis Advocatos et Procuratores, die 6 mensis octobris a. 1946 habita, in AAS 38 (1946) 397; IOANNES PP. XXIII, All. ad Praelatos Auditores ceterosque Officiales, Advocatos et Procuratores

c. Argumentum in responsione hucusque expositum, ita paucis compendiari potest: Advocatus ad normam c. 1483 bona fama gaudere debet; atqui bona fama non gaudet advocatus qui in unione irregulari vivit; ergo patrocinium penes tribunalia ecclesiastica exercere non potest. (Quae conclusio exhibebitur in ultima parte responsionis, seu in eius parte declaratoria stricto sensu).

d. Signatura Apostolica, tandem, in parte motiva responsionis, insuper animadvertit quod speciatim in causis nullitatis matrimonii haud opportuna est collaboratio advocati qui in unione irregulari vivit.

Debita enim pertractatio causarum nullitatis matrimonii requirit rectam doctrinam de matrimonio eiusque indissolubilitate apud omnes administratos et cooperatores tribunalium ecclesiasticorum, ergo etiam apud advocatos. Ipsi praesertim huiusmodi in causis suum «ministerium veritatis» in servitium salutis animarum secundum sanam doctrinam adimplere debent. In examine causarum tanti momenti quaevis suspicio de defectu rectae doctrinae in eis pertractandis omnino vitanda est.

Res prudenter proponitur. Non dicitur sic et simpliciter omnes, qui in unione irregulari vivunt, non habere rectam doctrinam. Per se tamen habetur dubium de eorum recta doctrina, quia haec in eorum

Tribunalis Sacrae Romanae Rotae, die 13 mensis decembris a. 1961 habita, in AAS 53 (1961) 819, n. 3; IOANNES PAULUS PP. II, All. ad Tribunalis Sacrae Romanae Rotae Decanum, Praelatos Auditores, Officiales et Advocatos, novo Litibus iudicandis in eunte anno, de veritate iustitiae matre, die 4 mensis februarii a. 1980 habita, in AAS 72 (1980) 174, n. 3, et 175, n. 5; et IOANNES PAULUS PP. II, All. ad Sacrae Romanae Rotae Tribunalis Praelatos Auditores, Officiales et Advocatos coram admissos, die 28 ianuarii 1982 habita, in AAS 74 (1982) 454, n. 11.

vita non manifestatur. Quocumque in casu, facile oriri potest suspicio huiusmodi advocatos in causis nullitatis matrimonii minus recte rem proponere, id est non in plena cohaerentia cum doctrina et disciplina Ecclesiae. Oportet autem operositas tribunalium in causis nullitatis matrimonii maneat omni suspicione maior.

Haud decet, itaque, aliquem in tribunali ecclesiastico, quod modo speciali integritatem sacramenti matrimonii in Ecclesia tueri debet, tamquam advocatum adlaborare et collaborare, qui eodem tempore per suum statum personalem matrimonialem doctrinae et disciplinae ecclesiasticae de matrimonio contradicit.

III

7. De responsione quaesito data seu de ipsa declaratione sensu proprio.

a. Motivis praemissis, Signatura Apostolica in parte finali responsionis ad modum conclusionis in primis principium generale affirmat: qui vivit in unionem irregulari ad exercendum munus advocati admitti nequit. Hoc principium, quatenus generale, per se valet pro avvocato ad casum admittendo, pro avvocato in albo advocatorum inscribendo, et pro avvocato iam in albo inscripto.

Tum sequitur in responsione applicatio principii generalis ad facti speciem magis specificam: advocatus, iam inscriptus in albo advocatorum, qui in conditione unionis irregularis vivit, ab albo advocatorum expungendus est.

Hoc autem in casu procedura, de qua in cc. 50 et 51, sequenda est, ut tutela necessaria iurium huiusmodi advocati servetur.

b. Exc.mus Moderator, antequam ferat decretum quo advocatus ex albo tribunalis expungitur, ad

normam c. 50 debet: 1) «necessarias notitias et probationes» exquirere; et 2) «quantum fieri potest» advocatum audire. Decretum insuper, ad normam c. 51, scripto feratur et exprimat «saltem summarie» motiva decisionis.

Advocatus contra decretum, quo se gravatum esse contendit, recursum instituere potest ad normam cc. 1732 ss. In tali casu, recursus hierarchicus fit ad Tertiam Sectionem Signaturae Apostolicae seu sectionem administrativam Supremi Tribunalis (cf. art. 124, 1^o, Const. Ap. *Pastor bonus*).

Huiusmodi recursus apud Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal iam cognitus est. Exempli gratia, decreto die 8 novembris 1991 emanato Signatura Apostolica decretum Moderatoris cuiusdam tribunalis, quo advocatus ex albo advocatorum expunctus erat, rescidit⁵. Motivum principale rescissionis decreti fuit quod «recurrens ante decretum latum auditus non est». In casu, Supremum Tribunal Moderatorem ut iterum ad normam iuris de re videret invitavit, quia causa ad advocatum ex albo expungendum adesse videbatur⁶.

⁵ Cf. Prot. N. 22784/91 V.T.

⁶ In casu agebatur de Advocato Rotali. Quoad Advocatos Rotaes notandum est quod Signatura Apostolica cuius est «in advocatos vel procuratores, si opus sit, animadvertere» (art. 124, 1^o, Const. Ap. *Pastor bonus*) constanter — dum Rotae Romanae relinquit Advocatos Rotaes prohibere a patrocinio exercendo in quibuslibet tribunalibus — agnoscit facultatem Exc. morum Moderatorum Tribunalium eosdem Advocatos gravi de causa prohibendi ab illo exercitio in suis tribunalibus (cf. Prot. N. 22784/91 V.T., decretum diei 8 novembris 1991).

CONCLUSIO

8. Signatura Apostolica rectae administrationi iustitiae in Ecclesia invigilat tuendo idoneitatem advocatorum in tribunalibus ecclesiasticis, speciatim ad causas matrimoniales quod attinet. Advocatus, qui omnia suo clienti faventia in luce ponit, cum administris tribunalis in indagatione veritatis collaborat. Speciatim ad causas nullitatis matrimonii quod attinet sua condicio personalis cum doctrina et disciplina Ecclesiae de matrimonio eiusque indissolubilitate cohaereat oportet.

In casu dubii de tali cohaerentia Episcopi est, iuribus advocati servatis, de re investigare et decernere. Dubio in certitudine converso, advocatus qui in unionem irregulari vivit nequit ad patrocinium penes tribunaia ecclesiastica admitti.

RAYMOND L. BURKE